35

DE PIETATE PAROCHORUM

ADHORTATIO

AD PAROCHOS CENETENSIS DIOECESIS

IN SOLLEMNITATE S. TITIANI

POSTRIDIE IDUS JANUARIAS MDCCCXXIV

HABITA

AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D. JACOBO MONICO

EJUSDEM DIOECESIS TUNC ANTISTITE

DEIN

VENETIARUM PATRIARCHA ET S. R. E. PRESB. CARDINALI

VENETIIS MDCCCLII

EX TYPOGRAPHIA JOSEPHI GRIMALDO

EXCELLENTISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D. PETRO AVRELIO MVTTI

CONGREGATIONIS CASINENSIS ABATI

VERONENSI EPISCOPO EMERITO

S. C. R. A. MAIESTATIS A CONSILIIS INTIMIS

I. R. AVSTRIACI ORDINIS CORONAE FERREAE I. CLASSIS EQVITI

A SVPREMIS DIGNITATIBVS CORONAE LONG. VEN. CAPPELLANO

METROPOLITANAE AC PRIMATIALIS VENETIARVM ECCLESIAE

PATRIARCHALE MVNVS SOLLEMNITER CAPESSENTI

SEMINARII MODERATORES ET PROFESSORES

EX ANIMO GRATVLATI

HOC

COMMVNIS ATQVE INDISCRETAE

EXVLTATIONIS ET OBSERVANTIAE

MONVMENTVM

DEXTRIS PROSPERISQVE OMINIBVS

D. D.

III KAL. IVN. ANN. MDCCCLII

Excellentissime Praesul

Quum hodie, luctuosis moestisque viduitatis vestibus positis, in tanta diei sollemnitate, tantaque bonorum omnium exultatione ac laetitia haec nostra insignis Metropolis, ceu sponsa novo sponso parata, prisco splendore per Te faustissime induatur; neminem profecto, aut fallimur, magis quam nos dedeceret, in hac communi et mutua participatione votorum, quibus cives omnes Te

ad Patriarchalem dignitatem provectum jure meritoque prosequuntur, obmutescere, et illud, quo perfundimur, gaudium, eamque, qua in Te affecti sumus, animi observantiam intra cordis nostri secreta inconsulto prorsus consilio occulentes comprimere. En itaque hujusmodi animi sensa Tibi publice testata facimus; eorumque monimentum, in dies procul dubio duraturum, hanc.

quam Tibi offerimus, Opellam esse voluimus. Nec majus hercle munus, nec certius documentum Tibi praebere possemus: nihil enim est nobis religiosius, nihil hoc munere carius. Eheu bona et venerabilis apud nos JACOBI MONICO *memoria! Probe sane ille noverat, quanam mutua affectuum, officiorumque vicissitudine pro viribus jugiter studeremus, ut non indigni omnino videremur ea,*

qua semper nos amantissime complexus est, animi benignitate, cordisque benevolentia! Sancta idcirco hucusque habuimus, sanctaque semper habebimus ejus, quae nobis legavit, scripta, in quibus omnem animi ejus magnitudinem, pietatem, dulcedinem identidem expressam, aevoque vigentem conspicimus. Ex hoc itaque veluti sancto nobis promptuario argumentum depromendum pu-

tavimus, quo ejus in Patriarchali munere successoris rite recteque optatum celebraremus adventum. Et quidem nos decebat omnino, tali argumento tuum, o Inclyte Praesul, *adventum celebrare. Si enim Te in ejus sedem suffectum cernimus, Te simul ejus eximiarum virtutum aemulatorem praestantissimum novimus. Haec una est ex ejus adhortationibus, quas latino sermone con-*

scriptas bis quotannis ad Parochos Cenetensis Dioecesis habebat, quae nondum hucusque typis vulgata publicam lucem aspexerit; quamquam, ut patet, priori anno, primoque loco accensenda sit. Verum enim vero, si hanc cum iis conferas, quas typis mandatas prae manibus habemus, de Charitate, de Concordia, de Constantia Parochorum, de Jubilaeo ad Parochos, *ipsis profecto et re et*

mole haud parum cedere nosces: ast et huic suum sit pretium, quum et per eam series praedictarum adhortationum absolvatur, et praeter eam nihil aliud ex ejus Episcopalibus scriptis romano stylo exaratis nobis reliquum sit, quod Tibi offerre possimus. Eam itaque nunc Tibi damus; ipsa Tua nunc est. Nec tamen precamur, ut munus hocce aequi bonique facias et lubenter

excipias; scimus enim, quae et quanta inter Te et tuum Antecessorem benevolentiae, existimationis atque necessitudinis ratio intercesserit: precamur utique, ut, si fieri potest, ex ea, quam nos huic muneri pro animi affectu praestantiam tribuimus, nostram erga Te observantiam et existimationem dimetiri digneris. Faxit Deus, ut leve omnino Tibi sit onus illud, quod SUMMI PASTORIS *oraculo*

obsequutus tanta animi alacritate, tantoque boni operis studio sollemniter hodierna die suscepisti, et diu, quaesumus, novo gregi pascendo salvus et incolumis valeas atque vigeas.

Hoc jamdudum apud vos in more positum fuisse audio, ut convenientibus vobis singulis annis ad recolendas Sanctissimi Patris et Protectoris nostri Titiani reliquias, Episcopus aliquid eorum attingeret, quae ad Parochiale munus exercendum pertinere arbitraretur. Quam quidem consuetudinem in pristinum restituere quum mihi opportunissimum esse videatur, vobis autem nec injucundum, nec omni prorsus utilitate vacuum fore confido. Quid ita? Num existimem aliquem vestrum ad bene gerendam

animarum curam aut doctrina, aut charitate, aut alia virtute indigere? Tantum ab istiusmodi suspicione, V. F., abhorreo, ut immortales potius Deo gratias agam, quod quum ad Episcopalem dignitatem me evehi voluerit, hanc mihi administrandam dederit Dioecesin, quae Parochis omni virtutum genere praestantissimis, quam quae maxime, abundat. An vero tantum mihi arrogem, ut praesumam aliquid me vobis afferre posse ante hoc tempus indictum? Praeterquamquod magnopere cavendum est, ne quid novi in venerabili ecclesiasticarum rerum antiquitate interseratur, adeo etiam imbecillitatis ingenii mei non sum nescius, ut aliquid me scire putem, quod vos nesciatis. Quid igitur causae est, cur vos alloqui aggrediar? Ignoscite mihi, V. F.: quum reputo illud Concilii Tridentini, ***praecipuum Episcopi munus esse praedicare verbum Dei***, valde vereor, ne, si forte obmutescam, mihi olim dicendum sit cum Propheta, ***vae mihi, quia tacui.*** Quum autem fieri nequeat, ut unicuique populo verba faciam, ad vos saltem universos, veluti quoddam totius Dioeceseos compendium, orationem convertam.

Vos interim, quaeso, accipite in bonam partem, quae simpliciter dicam, nec laudum cupidus

(quod Deus avertat), nec censurarum timidus, sed illud unum spectans, ut per gratiam Spiritus Sancti, quam suppliciter invoco, roboretur in omnibus pastoralis charitas, qua concreditas nobis oves diligentius in dies pascere, et custodire, et manuducere ad aeternam vitam possimus.

Atque, ut inde loquendi initium sumamus, unde uberrima omnium virtutum seges exoritur, videamus cursim, quanta erga Deum pietate excellere debeant animarum Pastores. Quod quum vobis dico, V. F., mihimetipsi potissimum praedicandum esse planissime intelligo. Quid enim virtutum convenire Parocho affirmemus, quod non Episcopo multo magis conveniat? Non itaque ut vos doceam, quorum doctrinam revereor, sed potius ut me una cum vobis ad exequenda pastoralia munera vehementius inflammem, ajo in primis animarum Pastorem pium erga Deum esse oportere. Hoc enim si omnibus et singulis Christifidelibus omnino necessarium est, quanto magis in iis, qui caeteris praesunt, requirendum esse dicamus? Quum autem ex contrariorum conflictu veritas clarius effulgeat, fingite, quaeso, animis Parochum quemdam, qui nec Deum nec divina curet, qui nullam in sacris faciendis devotionem praesefe-

rat, qui audeat etiam liturgicos ritus contemnere, et quod in animo habet non vereatur interdum impudentissimo ore proferre. Pastorem ne hunc, an furem, et latronem, et mactatorem ovium appellemus? An credibile est, istiusmodi Parochum, si existeret, aliquam commissarum sibi animarum curam habere, proque iis, juxta Dominicum praeceptum, animam suam dare paratum esse? Si hoc dici nullo modo aut excogitari potest, jam satis apparet, nihil magis quam impietatem impedimento esse, quominus Parochialis administratio rite peragatur. At enim poterit quispiam etiam pietate vacuus, pietatis tamen speciem exhibere, et omnes officii sui partes adamussim explere. Hic quidem ex illorum genere censendus esset, de quibus dixit Christus Dominus, *qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Qui enim alium se esse simulat, atque revera est, is quidem poterit aliquandiu hominum mentibus illudere; sed quum Deum, cujus oculis nuda apertaque sunt omnia, nulla ratione latere possit, illius profecto auxilium nunquam assequetur: divina autem destitutus ope multa quotidie peccet, necesse est, quae quum in vulgus emanant, et ipse tandem male audit, et male animarum cu-

ra exercetur. Ita est, V. F.: nihil fictum, nihil subdolum, nihil fucatum augustissima pati potest Religio, cujus fundamentum aeternae Veritatis fulcro innititur.

Sed quorsum ista? Num si quis non est pius, continuo impium, vel hypocritam esse statuemus? Ego vero longe aliter sentio, atque adeo multos pietatem inter atque impietatem interesse gradus existimo. Heu! magna est naturae nostrae fragilitas; et quum ob conditionem officii nostri in saecularibus rebus versari saepenumero debeamus, haud raro contingit, ut aliquid mundani pulveris contrahentes, sensim ea, quae sunt spiritus, obliviscamur, et pios esse cessemus. Hinc fit, ut quotidiana ministerii munera nimia quadam familiaritate transigantur. Horae diurnae oscitanter leguntur, languet praedicatio, deseruntur infirmi, Sacramenta necessitate magis officii, quam charitate administrantur, et, quod horribile dictu est, sacrosancta ipsa altaris mysteria non aliter peraguntur, ac si essent ordinaria civilis vitae negotia. Quamquam vero Parochum, in quem haec cadere possent, nondum impium dixerimus, quis tamen putet, eum bonum esse posse animarum Pastorem? Nam haec vivendi consuetudo nec

satis perdita, ut impietatem oleat, nec satis proba, ut ad pietatem accedat, quam Deo sit odibilis, vel ex eo patet, quod dixit in Apocalypsi, se evomere coepisse Angelum Laodiciae, quod tepidus esset, hoc est, quod eam, de qua loquimur, vitae rationem sequeretur. Utinam vero malorum haec summa esset! Sed quum verissimum sit Spiritus Sancti oraculum, qui modica spernit paulatim decidere, facillimum est, ut qui in altaris ministerio tepescere inceperint, pejores in dies evadant, et ad saecularia divertentes, alius abeat in villam suam, alius vero ad negotiationem suam, hic equis, hic venationibus gaudeat, hic genio indulgeat, hic otio diffluat, hic ventri serviat, hic in turpiora labatur, quae ne dicam sanctitas loci deterret. Neque enim, si qui sunt, qui eo miseriarum devenerunt, ut dignitatem suam adeo infeliciter projicerent, putandum est hoc de repente accidisse. Nemo unus invenietur, cujus profligati ac perditi mores non sint ab exiguis repetendi principiis. Caveamus igitur, V. F., etiam ab iis, quae minima videantur, ne quum aliorum infirmitatibus mederi voluerimus, nobis jure dicatur: *medice, cura te ipsum.*

Si enim et in homine laico magnam anima-

bus affert perniciem morum corruptio, quid dicamus in Sacerdote, quid in Parocho? Nonne hinc potissimum exoriuntur populorum obmurmurationes, Religionis contemptus, Ecclesiarum solitudo, Sacramentorum oblivio, omniumque bonarum disciplinarum eversio? Saepe queri solemus, et quidem vere, mala esse haec tempora, Ecclesiasticas leges impudenter infringi, sacerdotium passim despici, auctoritatem omnem pro nihilo haberi, et vix aliqua antiquae observantiae et docilitatis remanere vestigia. Verum si tantorum malorum causas penitus inquiramus, possumus ne fidenter asserere, omni prorsus culpa hodiernum Clerum vacare? Utinam mentiar, V. F., si ausim dicere, huic potissimum fonti maximas, quibus premimur, referendas esse calamitates! Nam ubi Sacerdotes a vera pietate paululum desciverunt, populus eorum exemplo ac praesidio in pejus ruere, omnique vitiorum coeno sese inquinare gaudet, quum sibi multo minus vetitum putet, quod Religionis ministri sibi licitum faciunt. Nec dici potest per legis manifestationem satis huic incommodo provisum iri. Quid, quaeso, prodest verbo aedificare, quod opere destruitur? Quam fidem adhibebunt homines oratori, quantumvis eloquentissimo, quem aliud docere, aliud

agere intelligant? Nihil, nihil refert continentiam, patientiam, humilitatem, charitatem, justitiam, ceterasque virtutes praedicare, si praedicantium mores eorum verbis minime respondeant. Nihil juvat errantes corripere, si correptores eadem, quae in aliis objurgant, deliquisse deprehendantur. Haec adeo per se manifesta sunt, ut neque subtili ratiocinatione, neque historiarum documentis indigeant, quo evidentius innotescant.

Quid igitur nobis agendum est? Hoc, V. F., quod initio proposui. Non solum quamlibet impietatis speciem fugiendam (parum enim est, presbyterum non esse impium), sed pietatem omni studio ac labore sequendam et amplexandam esse, persuasum habeamus. Haec enim uberiores quotidie a Deo gratias nobis promerebitur, haec nos populo venerabiles efficiet, haec leviora pastoralia onera nobis reddet, haec viam et rationem suggeret, qua verbum Dei omni ancipiti gladio penetrabilius usque ad divisionem animae et spiritus in audientium corda immittamus.

Magna, mihi credite, V. F., magna est pietatis vis, quae non solum sacerdotis animo insideat, sed incessu, habitu, ore, oculis, toto denique corporis

cultu emicet; ac tacita quadam eloquentia ita ad se hominum animos rapit ac pertrahit, ut nullus ei verborum strepitus, nulla orationis copia omnino comparari possit. Hanc itaque tanquam virtutum omnium parentem et magistram quaeramus, assiduisque a Deo precibus postulemus. Si oratione, meditatione, sacrorumque librorum lectione pietas maxime nutritur atque augetur, secedamus, quantum patitur conditio nostra, a turba hominumque frequentia, et in solitudine constituti aperientes coram Deo corda nostra, repetamus illa adolescentuli Samuelis verba: *loquere, Domine, quia audit servus tuus.* In omni conversatione nostra pietas elucescat, maxime vero in iis, quae divinum attinent cultum, videlicet in publicis peragendis precibus, in administrandis Sacramentis, in celebrando augustissimo illo Sacrificio, cui adstant mille Angelorum millia clamantium et dicentium: *Salus Deo nostro, et Agno.* Jam vero magnum erga Deum pietatis argumentum erit, templa, altaria, vasa, omnemque supellectilem sacram ita diligenter curare, ut nihil in eis sordidum, nihil tritum, nihil indecorum appareat. Scio equidem, V. F., plurimos ex vobis in exstruendis ornandisve templis magnam pecuniae vim, magnamque operam im-

pendisse, tantoque liberalitatis exemplo ad imitationem vestri populos excitasse, ut vos potius laudare aequum sit, quam ad ea facienda, quae ultro facitis, adhortari.

Verum, si qui sunt, quorum Ecclesiae in paupertate et squalore tabescant, hos moneo, vehementerque obsecro, ut meminerint non homini, sed Deo praeparandum esse habitaculum. Propterea nec laboribus, nec expensis, nec conatibus parcant, ut, si minus laute ac magnifice, decenter saltem domus Domini instruatur. Denique, quidquid ad majorem Dei gloriam et Religionis cultum maxime confert, id potissimum promoveamus, et sine intermissione curemus, ac pro certo habeamus, eum, cui pietas non desit, deficientibus etiam ceteris adjumentis, non mediocri animabus utilitati esse posse: contra vero nihil doctum prodesse, nihil divitem, nihil hominibus gratiosum, in quo pietas desideretur.